

ris tantum, sed & instruendae militiae regulis & stratagematis externae corporis necessitatibus succurrens.

§. 4. Quo ipso Mathesis cum Politicā quām arctissimē jungitur, & ad Jurisprudentiam proximē accedit. Unde mutuo vinculo sic junctæ commune bonum promovere non immeritò fatagunt, quod in *Synopsi Jurisprudentiæ Struvianæ* pluribus deduximus.

§. 5. Ex illâ, nimirum ex Architectonicâ civili, specimen unum & alterum doctrinæ, quin & usus gratiâ domi meæ fieri curavi, inter quæ

**XXIV. TECTUM DECUSSATUM,**  
ein Erker - Dach mit Altänen / ohne Rählen und Rinnen / h. e. mæniana sine canali decussatim ordinata, Solariis totidem innoxiiis interjacentibus, quæ commodissima intus conclavia complectuntur.

**XXV. SCALA VICTORIA,** eine Zug-Treppen super quā commodissima non tantum est hominum scalatio, lapsus autem difficillimus & ultra 5. gradus impossibilis; sed & gravissima moles absque graduum contactu sursum deorsumque per omnes contignationes transferri sine molestiâ possunt: Ex imo cellæ subterraneæ juxta latè patentem axem scalæ continua nudo spatio constitutum, per vestibula singularum contignationum ad summum usque fastigium, imo si placet, aperto vertice, ad cœlum usque, datur prospectus, & vicissim.

Quæ aliis ædium partibus ex Mathesi accesserunt compendia, qualia sunt Januarum, tabulis, à metu rimarum æstu vel humore præservatis. Fenestrarum, aperturis per projectiones velut extemporaneas suâ sponte cinctis: Territorii parietum etiam luto lignis impacto structorum commissuris contra tempestatum injurias lapide solido munitis  
&c.